



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioan. Crombecii Societatis Iesv Presbyteri De Stvdio Perfectionis Libri Dvo

Crombecius, Johannes

Mogvntiæ, 1614

X. Plurimum adiuvento esse acquirendæ Perfectioni, Temperamenti &
Complexionis bonitate[m].

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51132)

Plurimum adiumento esse acquirenda PERFECTIONI, Temperamenti & Complexionis bonitatem.

*Difficultas
seruendi
Deo ex parte
mortalis corporis.* **I**Nter afflictiones, quæ vigent & premunt atque helantes ad Dei conspectum & complexum, ea non est minima, quod nec animus per se Deo obsequi pro voto valeat, nec corporis status atque condicio animi votis respondeat: cogaturque pius animus, mixto lacrymis gemitu, sæpe suspiria imo corde promere, ac dicere: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est: quando veniam & apparebo ante faciem Dei mei? Corpus enim, quod corrumpitur, aggrauat animam: & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Hæc suspiria & animorum & corporum lamentantium graphice expressit D. Paulus sub nomine creaturæ gementis, & ad supremam suam PERFECTIONEM aspirantis. *Expectatio, inquit, creatura reuelationem filiorum Dei expectat; quæ reuelatio manifestabitur in die resurrectionis vniuersalis. Quare expectando expectat? Quia vanitati creatura subiecta est non volens: & tamen patitur se esse subiectam, propter eum qui subiecit eam in spe: & merito sperat, quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertate gloriæ filiorum Dei, Scimus enim q̄ omnis* crea-

Psal. 119.

Psal. 41.

Sap. 9.

Rom. 8.

creatura ingemiscit & parturit vsque adhuc. Non solum autem illa, & homines vulgares, imo & Christiani quidem, sed & nos ipsi primitias Spiritus habentes; & ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri. Multa ergo impedimenta à corporis mortalis conditione nascuntur, quibus animi acies ac feruor retunditur, ne ad superiora transuolet & pro desiderio studium PERFECTIIONIS arripiat atque exercent.

2. Quapropter, etsi solius gratiæ sit, meritorias operationes, aut etiam quæ nos ad iustitiam & salutem deducunt, moliri; nec ipsa natura vim ullam ad ea præstanda in se habeat, vti late superius ostendimus; inter singularia tamen Dei beneficia id quoque referri debet, si cui naturam ad virtutem idoneam si Temperamentum conueniens, si complexionem temperatam, si passiones moderatas in ipsius formatione tribuat. Fit enim plerumque, vt in ijs edomandis vires omnes tota vita infumi debeant: quæ si in virtutum acquisitione, passionibus iam compositis atque ordinatis, conferrentur, breui ad apicem magnæ PERFECTIIONIS posset perueniri. Vt enim, qui in silua ædificare, vult, debet in primit excelsas arbores euertere, aquas vel temerarias, vel stagnantes, aut etiam fontes errantes diuertere, impedimenta amoliri, fundum stabilem quærere; quod magnæ impensæ atque operæ est, fitque subinde vt structura stans fulciri debeat, nouaque semper indigeat reparatione, quod fundamentum minime sano loco ac constanti pro ædificij dignitate

Temperamentum & Complexionem à Deo conuenientem nancisci, singulare beneficium esse.

1.
Similitudo accommodata.

te iactū sit: ita plane nobis accidit, si quando Complexionem incommodam, Temperamentum sanitati aduersum, passiones incompuestas habeamus: quas vel domare toto vitæ decursu oporteat, vel certe omni tempore cum rebellantia luctari, & quidem ea non raro victrice, & nullo aut paruo in virtutis decursu incremento ac progressu.

2.

*Figura.*2. *Esdræ* 4.

Longo tempore durauit restauratio murorum ciuitatis Ierusalem post captiuitatem: quia dum Iudæi ædificarent, continuum eis negotium erat cum aduersariis, qui impedire omni ratione nitentur: vnde manu altera trulla opus promouebant, altera vibrabant gladium. Molestum id quidem, & diuturni temporis opus: nec omnibus tanta constantia est, mentisque fatigata importunis aut precibus aut obstaculis languescit aut frangitur. Idem nobis euenit, ruinas ædificij nostri spiritualis restaurantibus: si obstant morbi continui, aduersa valetudo, propensio ingens in alteram partem trahentis nature, vis propellentium passionum, idque annis quinque, decem, viginti, quinquaginta: quis nimis adeo adamantinus, qui vel sustineat impetus, vel etiam in aduersum, nitatur, omnesque illas difficultates perumpat?

3. Quapropter inter eximia ea dona, quæ Deo mortalibus largitur, illud reputari haberique in primis debet, in ortu suo nasci Temperamentum consentiens: Complexionem item temperatam, vnde passionum moderatio exurgit à Deo accepisse. Et vero subinde Deum re-

Deum sin-

rum

rum omnium architectum, singulari prouidentia con-
currere ad naturæ ad virtutem idoneæ ac temperatæ uidentia
fabricam, præsertim si quando quempiam ad singula-
ris sanctitatis fastigium aut officij præclari dignita-
tem destinare voluerit, mihi omnino persua-
deo.

gulari præ-
uidentia
subinde ad
formatio-
nem corpo-
ris concur-
rere.

Adamum primum parentem, eiusq; sociam
Euam, optime temperatos, ac principum hu-
morum coalitione atque harmonia compo-
sitos, nemo in dubium vocabit, qui meminerit
eos manu supremi artificis esse compactos; il-
lum quidem ex luto hanc vero summo miracu-
lo ac mysterio è costâ sui coniugis eductam: illū
tamquam protoplastum, seu primum omnium
qui futuri erant, hominum genitorem, qui que
in eos naturam, quam acceperat, transfunde-
ret: hanc vero, quæ & mater uiuentium appella-
ri, & uero debebat esse. Et sane primus homo,
mortalis vitæ parens, secundum hominem,
qui cœlestem quandam animis vitam cœlitus
inuexit, repræsentabat. Huic autem secundo
parenti vitæ transfundendæ in filios, PERFE-
CTIONES omnes absque dubio inerant excellen-
tissime. Erant ergo in Adamo PERFECTIO-
NES omnes, quæ in natura perfecta ad huius-
modi officij dignitatem sustinendam desidera-
ri poterant. Hanc ueritatem suo calculo prima
ueritas comprobauit. *Vidit Deus, ait Moyses, cun-*
cta quæ fecerat, & erant valde bona.

1. Adam
& Euam.

Gen. 1.
2. Abra-
hami.

Eadem gratia ac priuilegiū Abrâhamo negari
non debuit; quem Deus ad eam dignitatem pro-
uexit, ut figura esset Saluatoris, pater fidei,

H 2 parens

parens multarum gentium, caput nominatissimum gentis Iudaicæ.

3. Isaac, Iacob, Moyses

Quid ni idem dixerimus de Isaac, Iacob, & Moyses? & sane si de officij dignitate quaestio sit, cessabit omnis difficultas; si de sanctitate, multo magis. Quid, quod in duobus filijs Isaac, nempe Iacob & Esau, quos mater vno partu fudit, totius orbis nationem in fideles & infideles, Iudæos & Gentiles, partitio; bonorum complexio ac benedictio, malorum reprobatio ac maledictio designatur? Quid, quod Moyses, Deus familiarissimus, loqueretur *facie ad faciem*, tanquam amicus ad amicum; vir mansuetissimus ac in omnes benevolentissimus? Et sane horum omnium mores ex sacris litteris explorare voluerimus, summe compositos & ad virtutem natos reperiemus.

4. Iob.
Iob. 1. & 2.

4. De moribus Iobi Prophetæ Deus summum tulit testimonium. Numquid (ait) *considerasti seruum Iob, quod non sit ei similis in terra, vir simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo, & adhuc retinens innocentiam?* Verum est hæc commendatio ante omnes eius dolores, afflictiones, summasque calamitates pronuntiata sit; tempore nihilominus toto suæ calamitatis non peccauit Iob labijs suis, neque stultum quid contra Deum locutus est. Amicis eius, qui ei multa improperauerant, pœnam Deus irrogauit, cum acri stultitiæ exprobratione. Quoniam non estis (ait) *locuti coram me rectum, sicut seruus meus Iob.* Illud etiam providentiæ specialis in formatione naturæ Iob argumento esse potest, quod de se

Iob. 1.

Iob. 4. 2.

de se Domino dixit : *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu: & sic repente præcipitas me?* Non esset quid profecto mirandum, si communi naturæ opera formatus in vtero, post ætatis annos plurimos (nam proles multas susceperat) præcipitaretur in tot calamitates: nec dicere deberet, *& sic repente præcipitas me?* Quid dicis, *repente?* Moriuntur aliqui in vtero matris: alij non citius fusi quam mortui: denique illi diu vixisse putantur, qui annum quadragesimum attingere potuerunt. At ad ea perficienda, quibus formatus Dei manu ac deputatus fuerat, parum temporis fluxisse videbatur: ideoque dicit, *& sic repente præcipitas me?* Ast alibi longe clarior. Numquid non in vtero fecit me? qui & illum operatus est: *& formauit me in vulua vnus.* Denique Memento quæso quod sicut lorum feceris me. Et hoc quidem de primo hominum ortu. De singulari vero sua plasmatione subiungit. Nonne sicut lac mulisti me, & sicut caseum me coagulasti? Pelle & carnibus vestisti me? ossibus & neruis compegisti me! Sola animæ creatio, infusio, ac vita naturalis, quæ ex vnione animæ & corporis resultat: supernaturalis denique, eiusdemque conseruatio exprimenda erant. Ideo addidit. *Vitam & misericordiam tribuisti mihi: & visitatio tua custodiuit spiritum meum.*

Iob. 32.

Iob 10.

De Dauide vix relinquitur etiam dubitandi locus: is enim fuit vir secundum cor Dei, caput regni stabiliendi: cuius mores ij fuerunt, vt nihil mansuetius, benignius, patientiæ laude illustrius inueniri potuerit. Sed & illud non con-

Psal. 70.

Psal. 70. temnendum, quod cecinit: *Spes mea à iuuentute mea, in te confirmatus sum ex utero: de ventre matris meae tu es protector meus. & alibi: Possedisti me suscipisti me de utero matris meae. denique: Quoniam tu*

Psal. 138. *qui extraxisti me de ventre: spes mea ab uberibus matris meae: in te proiectus sum ex utero: de ventre ma-*

Psal. 21. *tris meae Deus meus es tu Cœpit enim Deus tunc temporis peculiarem in eum providentiam exercere, quoniam ipsi Complexionem ac Temperamentum conflavit, quod virtuti capessendæ, in eo officio ac dignitate ad quam deputabatur, opportunissimum esset. Denique non tantum id verum esse de se ipse affirmavit, sed & de alijs. Scitote (inquit) quoniam Dominus ipse est Deus: ipse fecit nos, & non ipsi nos. & alibi: Fixavit sagittas corda eorum, qui intelligit omnia operarum.*

Psal. 99. *Deus: ipse fecit nos, & non ipsi nos. & alibi: Fixavit sagittas corda eorum, qui intelligit omnia operarum.*

Psal. 32.

6. Salomonis. Salomonis Cōplexio ac naturalis ingenij vis animi magnitudo, cor instar, marini litoris amplissimum, ingens rerum naturalium scientia, aliquid in natura præter consuetum fuisse demonstrant. Illud quoque quod præ ceteris in matris utero diutius hæserit. *Sum quidem (ait) ego*

Sap. 7. *ego mortalis homo, similis omnibus, & ex genere terreni illius qui prior factus est, & in ventre matris figuratus sum caro, decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine. Vnde Origines asserit hominem ad partum moveri, cum decimus mensis cum triduo excesserit.*

Homil. 4.

in lib.

Num.

7. Ioannis Baptista. Omitto Ioannem Baptistã, qui ex matre sterili & annosa susceptus est: nec sanctitas vitæ, & quæ de eo supra attulimus, aliud possunt argue-

guere. Quod de omnibus qui miraculose formati ex sterili, vel supra naturæ vires, aut sanctificati in huius lucis vſuram venerunt, statuendum puto. Omitto ergo Deiparam Virginem, quam ipſemet eius filius ſuis manibus adaptavit, eamque naturæ ac Complexionis PERFECTIÖNEM attribuit, ex qua ſibi corpus poſtmodum formare conſtituerat, Superuacaneum eſt de Chriſto diſputare. cuius corpus Spiritus ſanctus, imo tota ſanctiſſima Trinitas coagmentavit, compegit, ac formavit, *ſpecioſum forma præſi-* *Pſal. 44.*
lius hominum.

5. Ex his confici poſſe videtur, conditorem rerum ſpeciali concurſu ad eſſe ſolere formationi corporis eorum, quos ad inſignis alicuius ſanctitatis aut dignitatis gradum deſtinavit. Si enim ſucceſſu temporis excellenti gratia, cum vocâdo, tum iuſtificando, tum deinde plurimis ſanctitatis indi- *8.*
Oſtenditur
ratione,
cur Deus
peculiari
providen-
tia concu-
rat ad na-
tura forma-
tionem.
1. Ratio.
cijs, illuſtrationibus, viſitationibus, conſolationibus eximijs perfundere Deus cõſtituit eum quem ad eſcit ad ſuum obſequiũ, & perfeueratiæ cumulo ac ſingulari protectio-
ne toto vitæ decurſu dignatur: ſi denique ei in cœlo ſuæ immenſæ Maieſtatis complexũ ac beatam poſſeſſionem decreuit, perfectamque fruitionem bonorum omnium: quæ omnia & ſumma & incomparabilia ſunt præ bonis corporalibus: quid mirum ſi ei corpus adaptet conueniens, quo ea, ad quæ deſtinatur, conuenienter quoque exercere valeat? vt enim ſpiritua-
lia illa eo largitur, quo animam capacem reddat, idoneam ac præoptam ad exequẽdã ſuam diuinã

voluntatem, cum facilitate, alacritate, & gaudio
 quid mirum si corporis partes omnes ac Com-
 plexionem ita disponit, vt promptæ ac paratæ
 nunc voluntati obsecudent & pareant? alio-
 quin frustra gratia tanta opus esset, si per vires
 corporis ea vti non liceret. Accedit quod beati
 corporibus largiturus est qualitates ac condi-
 ciones conuenientes statui beatorum: nempe
 impassibilitatem, vt iugiter atque indefesse in
 cælo beati Deo seruiant: gloriam & splendo-
 rem quem loci & personarum status requirit; a-
 gilitatem & subtilitatem, vt tantæ Maiestatis
 voluntatem ad nutum exequantur: quid ni opus
 erit, vt eidem Maiestati seruituri in hac vita, cor-
 poris ac Temperamenti eas condiciones acci-
 piant, quas status atque officium cuiusque desi-
 derat, ad Domini sui voluntatem exequendam:
 si non adeo perfecte, saltem quantum officij ra-
 tio & viatorum condicio postulat? Qui tam in-
 gentia in patria largiturus est, quid ni in via gra-
 dientibus: cum eadem corpora ad gloriam illam
 destinentur: & ideo ea Deus efformet, vt suo
 tempore ad immortalitatem æternitatemque
 capeffendam transformentur?

2. Ratio.

3. Ratio.

*Tempera-
 mentum
 hominis
 iuxta tres
 status con-
 sideratur:
 nempe, in-
 nocentia,
 beatorum,
 & natura
 reparata.*

Tres enim status sunt, in quibus hominum
 corpora Dei auxilio supernaturali indigent, ad
 promptam expeditamque voluntatis diuinæ
 executionem. Primus est innocentia, in quo
 corpus hominis adeo conuenienter tempera-
 tum erat, vt nulla intemperies, nullus morb. otiri
 posset; accedente nimirum Dei assidua protectio-
 ne, ex qua homo impassibilis omnino reddebat.

Alter

Alter status, extremus, beatorum est; quo-
rum corpora nullus qualitatum primarum ex-
cessus defectusque mutare, nec vlla humorum
exuberantia compagem vinculumque illud a-
nimæ & corporis soluere alterareque poterit;
vnde optime D. Ioannes: *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum; & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt.* Erunt enim beatorum corpora impassibilia: non tantum ratione diuinæ protectionis, vti fiebat in statu innocentia; sed quia omnia, quæ eis nocere poterunt inuadēt ac penetrahunt. Nec patientur ab intemperie qualitatum; quia nulla intemperies vel qualitatum vel humorum illic erit: quidquid enim terrenū aut mutabile in illis est, absorbebitur noua quadam formatione animæ beatæ, ac vnione cum corpore. Nam vinculum illud, quo nunc omnes corporis qualitates, & Temperamentum, anima que ipsa cum corpore colligata sunt, (quod quidem dissolubile est) in aliud longe sublimius mutabitur; accipient enim corpora gloriosa cum anima vinculum & vnionem quadam supernaturalem, ratione cuius immutabiliter & inseparabiliter cohæreāt: hoc enim postulat status illius æternitas. Neq; ad hæc necessaria est qualitas quadam realiter ab anima distincta, vi * quidam voluerunt; sed sufficit nouus quidam modus vnionis, seu nouus modus informandi ex parte animæ & Temperamenti, & noua ratio recipiendi ex parte corporis. Nec obest, q̄ anima nūc tota, seipsa informet

1.
Satus innocentia.

2.
Status beatorum.
Apoc. 21.

Capreolus.
Paludanus
Richardus
à S. Victore.

H s cor-

corpus quantum potest, nec possit perfectius informare vel viuificare; absurdumque videtur hominem essentialiter perfectiorem esse post resurrectionem quam modo sit: nam etsi anima seipsa tota, & quantum potest naturali virtute corpus suum informet; non tamen quantum diuina virtus sese extendit: potest enim etiam alio modo se tota illud informare, ita vt duplici vinculo cum corpore sit colligata, naturali nempe & supernaturali. Non est quoque absurdum hominem esse quodammodo perfectiorem post resurrectionem: non quod anima vel corpus essentialiter perfectiora futura sint; sed vnio erit perfectior, vnde & ipsum corpus perfectius viuificabitur.

3. *Status natura repræsentata.* 6. Tertius status est medius; eoque pluribus indiget, quo maiora impedimenta in ipsis corporibus morti adiudicatis inueniuntur: ipsique animæ tantum negotij facessunt, vt multis passionibus irretita, non iam libertate sua omnino donata, sit sed velut ergastulo inclusa, vel densis veprium dumetis immersa, sine cruentis pungentium spinarum aculeis sese mouere vix, ac ne vix quidem, possit. His curandis opportune veniunt virtutum habitus, frequens diuinæ visitationis, illustrationum, excitationum auxiliorumque cælestium influxus, & maxime Omnipotentis manus protectio, ne concupiscentia flamma, virtutum seueritate veluti quibusdam cineribus conclusa, fomitem sæpius exerat: quo animus totus cōflagret, & de eius salute cōclametur. Sed hæc non nisi longo labore obti-

neri

neri possunt. Iuuat vero quam plurimum naturæ compositæ moderatio, ipsumque Temperamentum: quod vel ferocientis naturæ impetus excludit: vel molliores affectionum motus constantia sua frenat & cohibet.

CAP. XI.

*Valetudinem corporis animique sanitatem,
magno presidio esse studioso PERFECTI-
ONIS. Quid Temperamen-
tum, & eius partes.*

7. **C**omponitur namque corpus humanum ex quatuor elementis, vti eleganter Augustinus libro de spiritu & anima describit. *Aug lib de spiritu & anima. ca. 33.* **H**umanum (inquit) corpus ex quatuor elementis compositum est: sed in carne & ossibus maxime terra apparet, propter terrenam soliditatem. *Corpus humanum componi ex quatuor elementis.* Aqua in humoribus, aer continetur in pulmone: idcirco semper in metu est, quia ventilabrum cordis est, ne nimio calore consumatur cor, & dissoluatur. *Sedes or elementis.* Sedes ignis est in corde: & ideo inferius est latum, & superius acutum, quam formam ignis retinet. Quaedam vis ignea aere temperata à corde ad cerebrum ascendit, tamquam in columnam corporis nostri: ibique purificata & colata, per oculos, aures, nares, ceteraque instrumenta sensuum foras progreditur, & contactu exteriorum formata quinque sensus corporis facit, visum videlicet, auditum, gustum, odoratum, & tactum: qui tangendi sensus ab anteriori parte cerebri ad post-